



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXXII. De obligatione successoris ad solvendas decimas ab
antecessore non persolutas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

tur Nobilis obligetur injuriam hanc
 remove, & ab illius continua-
 tione desistere, quod aliter nisi
 solutione omnium decimarum fie-
 ri non potest, rescindere hunc
 novum contractum & omnes de-
 cimas persolvere Parocho tenebi-
 tur Nobilis. Ita sentiunt Covar-
 rúvias, Navarrus, Molina tom. 2.
 de Just. tract. 2. disp. 262. Tho-
 mas Sanchez l. 4. disp. 9. n. 4.
 Lessius, Rebellus, Palao tract.

2. de peccatis disp. 1. probatur in-
 super manifesta instantia, si aliquis
 prædium ad alium pertinens vi &
 cum injuria huic abstulisset, dein
 autem dimidiam partem sibi reti-
 nere & dimidium vellet vero Do-
 mino restituere, licet hic con-
 sentiat ex metu tamen, ne om-
 nino omnia perdat: juxta omnes
 talis restitutio non faceret raptorem
 turum in conscientia: er-
 go &c.



CASUS XXXII.

*De obligatione successoris ad solvendas decimas ab
 antecessore non persolutas.*

CAjus, quia ante aliquot menses agrum quendam à
 Cornelio acceperat, convenit à suo Parocho super
 decimis ab antecessore Cornelio persolutis tam ex
 tritico, quàm ex rapis, quibus Cornelius suum ag-
 rum post collectum ex eo triticum illo ipso anno conseve-
 rat.

Q. 1. An teneatur Cajus solvere Decimas ab anteces-
 fore suo non persolutas, si agrum ex alio, quàm hæredi-
 tatis titulo acquisiverit?

Q. 2. Quid si hæres universalis?

Q. 3. Si Decimæ ex quodam agro jam sint solutæ etiam
 ex rapis, quæ idem ager eodem anno fuerat constitus, sint
 persolvendæ?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An teneatur Cæsus solvere Decimas ab antecessore suo non persolutas, si agrum ex alio, quam hereditatis titulo acquisiverit?

- | | |
|---|---|
| <p>1. Definitio Decimarum, & quedam alia observanda præmittuntur.</p> <p>2. Ex fundo unà cum fructibus in decimatis accepto debentur decime.</p> <p>3. Secus non itidem successoribus particulari erunt persolvendi.</p> <p>4. Decime non sunt tributa propriè dicta.</p> <p>5. Num decime DEO in recognitionem supremi Domini solvantur.</p> <p>6. Aut tributa pauperum nominantur.</p> <p>7. Non obest nobis lex 13. ff. de impensis in res dotales factis.</p> | <p>8. In quo sensu decime sint magis privilegiatæ ipsis tributis.</p> <p>9. A fisco non sit semper bona argumentatio ad decimas.</p> <p>10. Cap. in quibusdam 31. de Decimis & can. si quis laicus 16. q. 1. explicantur.</p> <p>11. Decime prædij inherent ut virtualiter continentibus fructus.</p> <p>12. Quandonam Ecclesia privilegij fisci & Republicæ gaudeat.</p> <p>13. Sententia opposita non est probabilior ex autoritate.</p> <p>14. Quare pagani & Judei ex agris principi catholico subiectis decimas solvant.</p> |
|---|---|

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si hæres universalis?

- | | |
|---|--|
| <p>15. Hæres universalis immediatus ad Decimas sui antecessoris persolvendas obligatur.</p> | <p>16. Idem videtur dicendum de successore universali mediato.</p> |
|---|--|

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si decima ex quodam agro jam sine soluta, an ille etiam ex rapis, quis idem ager eodem anno fuerat consuus, sine persolvenda?

17. Cajus viiuris communis, § præ-
sciindendo à consuetudine contra-
ria ad Decimas ex rapis tenetur.
18. 19. 20. Solvuntur rationes con-
trarium sentientium.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An teneatur Cajus solvere decimas?

- P**ro solutione casus sciendum 1. Decimas definiri, quod sint Decima pars bonorum mobilium licetè questitorum Ecclesiæ ministris exsolvenda.
- Sciendum 2. An hunc fundum prædialem inceperit possidere, vel una cum fructibus nondum decimatis, vel sine omnibus fructibus, in quantum hos antecessor collegerat. 3. An Cajus emptio-
ne, vel jure hæreditatis ejusmodi fundum acquisiverit.
- His præmissis Dico 1. Si ipse fundus unà cum ipsis fructibus indecimatis transijt ad secundum possessorem Cajum, erit hic omnino obligatus ad solvendas decimas ex fructibus, quos una cum fundo accepit ita teste Illjng tract. 5. Disput. 2. q. 3. a. 2. n. 234. Doctores universim. probatur autem ex cap. tua nobis 26. de Decimis, item ex cap. pastoralis 28. ibi: fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum, uti & ex cap. cum non sit 33. ibi statuimus ut in prerogativam dominij generalis exactionem tributorum & censuum precedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata perveniunt (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debeatur. Ratio est, quod decimator habeat jus reale in ipsis decimis, ita ut huic juri activo correspondens jus passivum inhaereat ipsis fructibus; ergo hoc dabi-

dabitur, ad quemcunque Dominum transferint.

Conf. ex S. Thoma 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4. ibi, de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas solvere non tenetur, nisi forte propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrit, si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam, & à venditore, quia, quantum est in se, Ecclesiam defraudavit.

Dico 2. Si Cajus ex titulo venditionis, aut alio quàm hæredis universalis solum fundum sine ullis fructibus possidet, non erit obligatus ad solvendas decimas, quas annis prioribus antecessor, vel omnino nullas, vel non integras persolvit. Ita contra Panormitanum, Hostiensem, Joan. Andre, Frederic. Sen, Rebuffum, Azorium tom. 1. l. 7. c. 24. q. 2. & 18. Felinum Archidiaconum, Guttierrez, Augustinum Barbofam, Fermorinum, Ludovic. Engl plurésque alios defendunt Suarez tom. 1. de Religione l. 1. tract. 2. c. 38. num. 9. Canisius, Layman, l. 4. Theol. Moralis tract. 6. c. 2. n. 5. Pyrhing, hoc tit. n. 161. Schambog, eodem n. 51. Zoësius Fagundez Cod. l. 3. c. 6. n. 2. Bern. Van Elpen, Michaël du Perrus, uti & alij antiqui Canonistæ, quos Panormitanus citat in c. 7. n. 6. & cap. 28. b. t. n. 5.

Probatur concl. 1. Negativè: onus solvendi decimas præteritas illorum fructuum, quos Cajus non perceperat, est gravissimum, ac intolerabile: ergo, cum nullum jus imponens hoc tam grave onus extet, non debet hoc tam intolerabile onus imponi Cajo, quòd autem nullum tale jus extet, probatur negativè.

Probatur concl. 2. Jus exigendi decimas annorum præteritorum nondum solutas, non est immediatè annexum fundo, sed fundi fructibus: ipsi autem fundo tanquam onus reale præcisè inhæret, quatenus fundus virtualiter in se fructus continet, hoc est, cum respectu, & ordine ad fructus, quibus solis propriè, & formaliter onus decimandi annexum est: ergo cum apud Cajum non existant ipsi fructus, neque dabitur apud illud ulla obligatio. Ant. constat ex cap. 24. 26. & 33. uti ex citato cap. pastoralis 28. de decimis; in his enim onus decimarum apertè annectitur solis fructibus; ab ijs etiam, qui fructus percipiunt, afferunt solvendas esse decimas: ergo cum non annectatur jus istud fundo, hic ab illo onere erit immunis. Consequentia verò est æquè certa, si enim onus decimarum immediatè est annexum solis fructibus, tunc illæ solum erunt solvendæ, quando, & quatenus fructus colliguntur, & ab illo, qui colligit:

git : ergo cum Cajus non collegerit , non erit obligatus.

Conf. 1. Argumento *regule non debet 22. in 6. non debet aliquis alterius odio pregravari*. ergo minime æquum videbitur , ut decimarum onus fructibus , & simul horum fundo uti & hujus possessori incumbat , eò quòd sic possessor antecessoris sui odio gravetur.

Conf. 2. Nulla jura decernunt decimas solvendas esse à detinentibus prædia sine fructibus , sed obligationem istam alligant percipientibus fructus : ergo à sensu contrario bene inferitur , decimas à non percipientibus fructus haud quaquam solvendas esse.

Conf. 3. Si sola possessio fundi obligaret ad solvendas decimas , licet fructus à possessore non percipiantur , deberet v. g. Cajus solvere decimas ex suo fundo , licet hunc pro solvenda mercede colendum locaverit Ambrosio : atqui hoc falsum esse constat ex *c. 8. § 28. § 33. de decimis*. ubi statuitur , ut decimas potius conductor solvat , quàm locator , licet istud non fuerit specialiter in pactum deductum.

Conf. 4. Nemo me obligabit ad solvendas decimas ex meo fundo , si fructus inundatione , grandine , aut depopulatione hostili , aliòve infortunio perierint : ergo non ipsi fundo est annexum onus solvendi decimas.

Conf. 5. Obligatus ad solvendas decimas debet istas solvere ultro , & non rogatus : atqui Dominus solius fundi , etiam juxta adversarios non est obligatus ad illas præstandas , nisi ut rogatus : ergo omnino non erit obligatus.

Conf. 6. Argumento *Legis : factum cuique 155. ff. de R. J.* non decet , ut factum venditoris noceat Emptori.

Conf. 7. *cap. 28. § 33.* hoc titulo habetur , quòd in casu quo Dominus & prædium , & fructus indecimos diversis personis vendiderit , decimæ solvendæ , & expetendæ sint ab emente fructus indecimos , non autem ab emente solum prædium : ergo &c.

Contra hanc , quæ potissimè ⁴ controversa est , conclusionem , sic obijciunt obligantis sententiæ Patroni : decimæ in sensu Ecclesiastico sunt tributa , habentque naturam tributorum : atqui onus non solutorum tributorum transfertur etiam in successorem : ergo etiam onus solvendi decimas transfertur in successorem. *Prob. Maj. ex verbis cap. tua nobis 26. de decimis* : ibi , *tributa egentium animarum vocantis*. Eadem *Maj.* constat etiam ex ratione : nomine tributi venit pensio solvenda juxta cujusque facultates præsertim prædiales ad recognitionem Principis , & communia impendia sustinenda : atqui juxta *Inn. 3. cit. cap. 26. decimas Deus in signum universalis dominij sibi reddi percipit.*

Nnn

pit.

pit: ergo decimæ habent rationem tributorum. 3. Idem Pontifex in cap. *cum non sit* 33. h. t. non solum decimas tributis comparat, sed tanquam tributa altioris ordinis præfert quoad præstationem faciendam quibuscunque alijs tributis.

Verum ad rationem istam, qua præcipue nituntur adversarij, respondemus negando Majorem, quod scilicet decimæ proprie rationem tributorum habeant: si autem in nullo vero, ac proprio sensu naturam tributi habent, tunc statuta de tributis non habent locum circa solutionem Decimarum, cum taliter omnino inepte à tributis argueretur ad aliud omnino disparatum, seu non participans naturam tributi. Non autem gratis à nobis majorem negatam fuisse, colligitur ex verbis *Glossæ in cap. tua nobis* 26. *V. tributa*, ubi habentur sequentia: *decimæ improprie dicuntur tributa: quia in tributis non admittitur appellatio can. ei qui 44. causa 2. q. 6. sed super decimis bene admittitur, sicut in alijs causis ubicunque aliquis gravatur c. ut debitus 59. de appellat. item in tributis non currit præscriptio, 16. q. 3. c. placuit 15. S. potest. V. adhuc Ecclesia &c. sed in decimis bene currit c. de quarta 4. & c. ad aures 6. de præscript. juxta Suarezium itaque tom. 1. de rel. l. 1. tract. 2. c. 38. num. 9. & Canisium c. 4. n. 7. aliisque sunt solum metaphoricè tributa, præ-*

ter enim allatas modò duas differentias decimæ à tributis etiam in eo differunt, quod decimæ solvantur privatis Ecclesijs, ac personis tum in stipendium sacri ministerij, tum in sumptus sacrificiorum, ornamenta Ecclesiarum, egenorumque subsidium. Tributa ex opposito Principi sunt præstanda in signum superioritatis, item ad sustinenda communia Republicæ onera, prout testantur. Brissonius de verb. significat. *V. tributa Thesaurus loco: commun.* Barbosa, & Tabor *V. tributum.* Panormitanus in c. ad audientiam 13. n. 12. de præscriptione cum Bartolo in Leg. 1. ff. de publicanis, & eruitur ex cap. 2. de censibus, ubi: *ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.*

Urgebit hic aliquis cum Emin. Card. de Luca disc. 6. de decimis num. 12. Decimas præstari Deo tanquam supremo Domino, ac Principi spirituali in recognitionem universalis dominij. Sed respondetur negando, hunc modum loquendi esse proprium: decimæ enim nequaquam immediate præstantur Deo, sed solum Ministris Ecclesiæ, in quantum per decimas, ut principale intenditur sustentatio Ministrorum in Ecclesiâ: cum ergo isti præcipue intendant cultum Divinum promovere, hinc quod illorum sustentationi attribuitur, aliquo modo etiam Deo dicitur præstari, & propterea accessoriè & quasi secundariò præ-

Ratio-

stationi decimarum est conjuncta quaedam protestatio dominij; prout cujuslibet alterius Divinæ Legis observatio cultum Divinum promovet.

6 Urgebatur 2. In *cap. tua nobis* hoc titulo decimæ nominantur tributa pauperum, & egentium animarum: ergo &c. *¶* nomen tributum citato loco accipi latius, in quantum tributum quamlibet donationem, vel cessionem significat, derivando hoc nomen à verbo tribuo: in quo sensu etiam alteri beneficium tribuere dicimur, uti & veniam, remissionem delicti: vocantur itaque decimæ tributa egentium animarum, eò quòd residua illarum pars à Ministris Ecclesiæ pauperibus sit tribuenda. Nobis potius hæc objectio servit; sicut enim decimæ non sunt propriè tributa, licet vocentur tributa egentium animarum, ita neque sunt propriè tributa Dei, licet taliter vocentur.

Conf. omne verum tributum immediatè præstatur Principi, nisi etiam Eleemosynas in honorem Domini supremi pauperibus erogatas velis verum tributum dicere: sed decimæ non immediatè tribuuntur Deo: ergo &c.

Conf. 2. Tributa inhaerent rebus, & propterea cum istis ad quemcunque possessorem transeunt: decimæ autem juxta probata annexæ sunt fructibus.

7 Urgent 3. Etiam ex fructibus solvitur tributum, vi *Legis 13. ff.*

de impens. in res dotales factis, & successor licet careat fructibus ab antecessore perceptis, ex his tamen tributa cogitur solvere, ergo ¶. neg. conf. Ratio est: in citato loco, sermo est de marito, & deciditur à Juris - Consulto Paulo, *quòd neque stipendium, neque tributum ob dotalem fundum præstita, exigere vir à muliere possit, onus enim fructuum hæc impendia sunt.* ex quo colligitur maritum ad tributa teneri, eò quòd, & fundi dotalis, & fructuum quoque ex eo perceptorum possessor existat: qualium tamen fructuum possessor non est Cajus: ergo non est paritas.

Urgebis 4. Magis sunt privilegiatæ decimæ, quàm tributa: ergo, si tributa sunt à successore solvenda, multò magis etiam præstandæ erunt decimæ. Prob. ant. decimæ sunt solvendæ ante tributa: ergo &c. *¶* dist. ant. sunt decimæ magis privilegiatæ simpliciter, negatur, sunt magis privilegiatæ quoad hunc effectum, conceditur ant. & neg. conf. cum tributa non possint præscribi, benè autem decimæ, ideo non est verum, quòd simpliciter magis sint privilegiatæ decimæ, quàm tributa.

Urgebis 5. In multis alijs à fisco bonum argumentum deducitur ad Ecclesiam, & à tributis ad decimas: ergo etiam in præfenti casu. *¶* neg. conf. ibi enim solum bona hæc illatio est, ubi

hanc expressè statuerunt jura, aut saltem non statuerunt contrarium, quod tantum circa solutionem decimarum factum fuit, cum ex dictis constet, solis fructibus hoc onus annexum fuisse, neque decimæ eodem rigore, quo tributa, exigantur, cum præscribi valeant, & per privilegium ab ijs personæ eximantur, etiam quæ percipiunt fructus: non ergo erit credibile, quòd obligare velint non percipientes fructus.

10 Ob. 2. Contra eandem secundam conclusionem; ex vi *cap. in quibusdam 32. de decimis* tenentur Domini prædia solis illis elocare, à quibus Ecclesiæ decimæ sine contradictione percipiunt, item *can. si quis laicus 16. q. 1.* prædia ita alijs concedi permittit, ut decimarum proventus priori Ecclesiæ non subtrahantur: ergo &c. *u. neg. conf.* ratio est, quòd primus textus de solis decimis futuris fit intelligendus; loquitur enim de decimis solvendis non ab ipso Domino prædiorum, sed de horum conductoribus, sive colonis, qui utique ipsos fructus percipiunt, alter textus pari modo de futuris decimis loqui censei potest.

11 Ob. 3. Decimæ prædiales sunt onus reale: ergo ijs prædijs inhaerent: ergo cum ijs tanquam onus ad quemcumque possessorem transeunt, etiam quoad decimæ antea solendas, quia par est in hoc quoad utrumque ratio,

u. dist. primum conf. ergo decimæ ijs prædijs secundum se sumptis immediatè, atque directè inhaerent neg. conf. ergo ijs prædijs ut virtualiter continentibus fructus, sunt annexæ, contra hanc & nego alterum consequentiam.

Ob. 4. Regulariter Ecclesia dicitur gaudere privilegij Fiscij, & Reipublicæ, quoties casus est applicabilis. 2. à Jure Canonico, 1. *de novi operis nuntiatione* approbatur, quod à Jure Civili statutum est in simili, præsertim in casibus Ecclesiæ favorabilibus. 3. Ecclesia dicitur gaudere privilegij dotis, pupillorum, minorum: ergo sicuti bona mariti sunt uxori pro dote tacitè obligata, sic etiam prædia pro decimis sunt obligata Ecclesiæ. *u.* Ad primum à Fisco ad Ecclesiam bonam fieri argumentationem, juxta *Everardum loco 6. n. 2.* quando eadem ratio militat in utroque, & quando contrarium non reperitur expressè decisum in jure. & quando privilegia fisci sunt talia, quòd congruant Ecclesiæ vel cause pie, & ad eas applicabilia sunt. Atqui casus in decimis diversissimus est à casu tributorum, insuper Jus Canonicum expressè aliud quid statuit de decimis, quas solis fructibus inherere declaravit: ergo favor circa hoc in tributis concessus fisco, non est applicabilis ijs decimis. Ad secundum Dico, licet Jus Canonicum statuta à Jure

annexum personis ratione obsequiorum spiritualium, quæ istæ recipiunt à Ministris Ecclesiæ: Judæi autem nulla obsequia spiritualia ab istis recipiunt: ergo &c. R. dist. ant. si simpliciter & nullo modo decimæ sunt annexæ prædij, tunc vera est sequela, con.

si illis tantum secundum se sumptis atque immediatè non sunt annexæ, sunt tamen mediatè, & prout virtualiter continent ipsos fructus, & cum respectu ad istos, nego sequelam. Respons. cum ex dictis pateat, ideo explicatione non indiget.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An hæres universalis ad decimas à suo antecessore non solutas, teneatur?

Dico: si Cajus illud prædium tanquam universalis hæres immediatus possideat, eundem ad præstandas decimas tam personales, quàm reales à suo antecessore, seu testatore non solutas obligatum fore, ita communis.

Prob. omnia debita ex bonis hæreditarijs ab hærede universali sunt solvenda: sed Cajus ponitur esse hæres universalis: ergo ab illo omnia debita antecessoris erunt solvenda. atqui solutio decimarum est aliquod debitum: ergo &c. Major probatur ex cap. fm. de sepulturis: ibi sed ejus (defuncti scilicet) hæredes & propinqui, ad quas bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censurâ sunt Ecclesiasticâ compellendi, nec non ex lege: ex facto 35. §. unde scio ff. de hæredibus Instit.

ibi refert Papinianus, pro hæreditarijs partibus eos agnoscere æs alienum debere, item ex lege 37. ff. de acquirend. vel amittend. hæredit. hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit; cum & ea, quæ in nominibus sint, ad hæredem transeant. ut etiam ex lege 59. ff. de Reg. Juris, hæredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat. nec non ex lege 62. de Reg. Juris, hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit. denique in lege 128. de Reg. Juris hi qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur.

Præterea hæres universalis vi legis 14. Cod. de rerum vendicat: tenetur etiam factum defuncti præstare: ergo etiam æs alienum, & debita ejusdem exsolvere. Ex

16 Ex hæcenus allatis vidimus, hæredem universalem immediatum ad decimas ab antecessore suo non persolutas, teneri, major difficultas habetur de obligatione, quam hæres universalis mediatas ad tales decimas solvendas habet: v. g. in proposito casu ponamus, quòd Cajus defuncti Cornelij hæres universalis decimas ab hoc persolvendas, prout tamen tenebatur, non præstiterit, in hoc autem statu defunctus, Titium universalem suorum bonorum hæredem instituerit, eritne iste ad decimas à Cornelio non præstitas, nec ab hujus successoris Cajo persolutas obligatus?

Difficultatem videntur movere, quæ de bona, & mala fide in præscriptionibus habentur, in hac etenim materia quaeritur, utrum mala fides antecessoris noceat successoris aliàs in se bonæ fidei? Et communiter respondetur, quòd mala fides antecessoris noceat successoris immediato, non autem mediato: ergo videtur etiam dicendum, quòd solummodo hæres immediatus ad solutionem decimarum, quas antecessor suus non præstiterat, sit obligatus non autem hæres mediatas.

Sed respondetur, disparitatem inter successoris in ordine ad præscriptionem, & inter successoris universalem ratione obligationis ad solvendas decimas ab antecessore non persolutas in eo

esse sitam, quòd mala fides successoris immediato, & habenti bonam fidem tantummodo per fictionem juris imputetur, qui in se ponitur habere bonam fidem, & id ex eo capite, quòd cum antecessore judicetur esse eadem persona.

Cum ergo ex altera parte jura duplicatam fictionem fugiant, & detestentur, hinc successor mediatas non fingitur à jure eadem persona cum primo defuncto, & consequenter neque malæ fidei, aut propterea ad præscribendum ex defectu bonæ fidei impotens esse. Ex opposito ad solvenda defuncti debita hæredi universali incumbens obligatio nequaquam innititur tantum cujusdam juris fictioni, sed iste à legibus verè, ac re ipsa ad persolvenda debita antecessoris sui obligatur: cum ergo Cajus, quem ponimus fuisse defuncti Cornelij hæredem universalem immediatum, verum debitum contraxerit ad solvendas decimas à Cornelio non præstitas, ideo hoc æs alienum ejusdem successoris universalis Titius debet solvere, ad hoc obligatus, non quidem ex re accepta, aut ex injusta acceptione sed ex quodam contractu, quo successor ex voluntate legum se obligat ad solvenda omnia sui antecessoris debita, non minus realia, quam personalia, sive dein hæc proveniant ex re accepta, sive ex injusta acceptione.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Si decima ex eodem agro jam sint soluta, an illa etiam ex rapis, queis idem ager eodem anno fuerat confisus, sint persolvenda?

Respondeo, si consuetudine omnibus bonis decima sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ. non fuerit sublatum onus solvendi Decimas ex rapis in aliquo loco, etiam in positis circumstantijs Cajum ad decimas ex ijs solvendas obligatum fore. ita cum communi P. Jacobus Wex in sua Ariadne part. 5. tract. de Decimis quæst. 6. n. 3.

Prob. conclus. ex cap. Nuncios 6. de decimis, ibi nuncios mandamus quatenus paracianos tuos de opibus & omni fructu decimas persolvere Ecclesiæ districtione compellas, item ex cap. ex parte 21. ibidem ex parte canonicorum Ecclesiæ tuæ nobis est querela proposita, quod quidam agricultores, cum simul vel diversis temporibus anni, in eodem horto, vel agro diversa semina sparserint, non nisi de unius illorum seminum fructibus Decimas illi persolvant &c. mandamus. quatenus si noveris, remtaliter se habere, agricultores illos, ut de omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant, Ecclesiastica censura compellas. Item ex cap. 22. eodem titulo: de vino, grano fructibus arborum. peccaribus, hortis, negotiatione, & de

Denique in c. 26. eadem Rubrica: de cunctis, omnibus provenientibus jubentur solvi decimæ.

Respondent ad hæc ex jure Canonico adducta capitula, in ijs solùm sermonem esse de casu, in quo diversæ partes ejusdem agri diversis fructibus conferuntur, & de his singulis decimas solvendas decerni, sed contra est: in cap. ex parte 21. expressè legitur particula vel: cum simul vel diversis temporibus anni, in eodem horto, vel agro semina sparserint, contra est secundo vi cap. 6. 22. & 23. sunt decimæ solvendæ ex omni fructu & cap. 21. asserit esse solvendas ex frumento & grano: & cap. 3. jubet solvere decimas ex fabis aliisque leguminibus, & nulla fit mentio, distinctio, aut exceptio de ortu horum fructuum, an prima vel secunda vice ex eodem fundo provenerint: ideo inferitur, quod in omni casu ex ijs sint solvendæ, nisi contraria consuetudine obligatio ista fuerit abolita.

Ob.

29 Ob. 2. ex eadem re non debentur bis decimæ : ergo nec ex eodem agro 2. dist. ant. ex eadem re non debentur bis decimæ, ita tamen, ut occasione ejusdem rei duplex decima debeatur conc. ant. non debentur ex eadem re bis, & neque occasione ejusdem rei possunt ex diversis rebus bis deberi decimæ, neg. ant. & conf. cum Decimæ immediatè proximè, ac per se debeantur ex fructibus, non autem ex ipso prato, fructus autem sint diversi, frumentum scilicet & Rapæ, ideo non ex eadem re, sed ex diversis dabuntur decimæ : quia tamen hi fructus sunt in eadem agro consiti, hinc occasione ejusdem agri, & rei bis debentur : sunt igitur nomine rei, quando dicitur, quòd ex eadem re non debeantur decimæ bis, intelligendi fructus, ratio horum est, quòd non ager secundum se spectatus, sed ut ferens fructus sit obnoxius decimis : atqui textus juris asserunt universaliter, ex omnibus fructibus esse solvendas decimas : ergo erunt istæ solvendæ etiam ex eodem agro, si hic successivè plures fructus proferat.

Conf. etiam in productis secunda vice in eodem agro fructibus, reperitur ratio, ob quam sunt decimæ solvendæ : ergo etiam debent ex iisdem solvi prob. ant. etiam tales fructus provenerunt ex DEI munere, & necessarij possunt esse ad procurandas res con-

servando DEI cultui necessarias, uti etiam sustentationi ministrorum DEI : sed hæc est ratio exigendi decimas : ergo &c.

Ob. 3. Hanc nostram assertio-
nem repugnare praxi consuetudinem plurimorum locorum, in quibus ex rapis decimæ nunquam exiguntur : ergo &c. 2. conc. ant. dist. conf. ergo non debent ex illis solvi decimæ in locis, in quibus obligatio ista fuit extincta contraria legitima præscriptione, conc. in quibus non fuit abrogata neg. nostra responsio est conformis Juri communi, & quid vi hujus præcendendo à contraria consuetudine, faciendum in hac re sit, declarat : sicut itaque hæc ipsa consuetudo, ubi illa invaluit, extinxit obligationem solvendi decimas ex fano, & ex fructibus arborum, ita illa ipsa introducere potuit exemptionem solvendi ex secundis fructibus in eodem agro productis, optimè igitur advertit Eminent. Card. de Luca *disc. 5. de decimis disc. 18. n. 16.* & cum hoc Pater Jacobus Wex *n. 1. loci cit.* quoad plerasque quæstiones materiam decimarum concernentes optimum judicem esse consuetudinem & observantiam in particularibus provincijs, aut paroçhijs vigentem.

Quodsi autem ulterius promoveatur quæstio, & cui subjecto ex rapis provenientes decimæ persolvi debeant, indagetur; reponimus, attendendum esse, an

Ooo

penes

penes eundem sit universale jus omnes decimas tam majores, quam minores percipiendi, vel penes plures? si primum, ille ipse habebit jus exigendi decimas ex rapis, qui illas colligit ex frumento quod si autem unus habeat decimas majores, alius autem minores tunc huic decimæ ex rapis præ-

standa erunt, in quo tamen ipso etiam potissima ratio consuetudinis localis habenda erit, ut decidatur, quinam fructus minoribus, & quinam majoribus sint accensendi: habetur enim ab experientia, eodem fructus in uno loco annumerari majoribus, in alio minoribus.



CASUS XXXIII.

De obligatis ad domum Parochialem reficiendam.

Parochus Paræciæ A. cum tam stabulum, quam horreum ipsius ob vetustatis vitium ruinam minarentur, concitatores suos monet, ut pro rata illos concernente ad ædificationem novi stabuli & horrei secum concurrerent contribuere tamen aliquid cum isti recusarent, ideo.

Q. 1. Quinam Ecclesiam parochialem reparare debeant?

Q. 2. Num etiam decimatores?

Q. 3. An obligati ad reficiendam Ecclesiam, reparare debeant aedes parochiales, horreum &c.?

Q. 4. Quomodo, & à quibus reuocantes ad reficiendam Ecclesiam cogi possint?